

bus fuisset præcepta Communio sub utraque specie. *c. 12. de Cons. D. 2.* in odium hæresis Manichæorum, qui abstinabant à calice, eo quod dæmoni originem vini, ut rei perniciosæ tribuerent, postea verò, ut aboleretur hæresis asserentium utriusque speciei sumptionem esse. Juris Divini: & ut magis declararetur sub qualibet specie totum Christum contineri, Ecclesia Laicis, & non Sacerdotibus usum calicis prohibuit: *Trid. sess. 21. cap. 1. Et Can. 1.* & patet ex communi Ecclesiæ praxi, licet Græci adhuc calicis usum habeant, & Romæ eo utantur in Ecclesia proprii Ritus. Et hujusmodi calices fortè sunt, qui aliquando *minores*, seu *ministeriales* appellantur. Postea sequitur quædam Antiphona à D. Gregorio instituta, olim *transitorium*, & hodie *Communio* dicta, & in choro canebatur, dum communio distribuebatur fidelibus. Et quidem tunc, & non alias distribui debet, ut cavetur in Rituali Romano, ibi: *Communio autem Populi intra Missam statim post communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet, nisi quandoque ex rationabili causa, post Missam sit facienda, cum orationes, quæ in Missa post communionem dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent.* Et idè in Sabbato Sancto, quia communio Populo non fit, hæc antiphona non dicitur. Quando Episcopus dat fidelibus communionem, priusquam eam accipiant ejus manum osculantur. Licet Sacerdos, quando celebrant seipsum communicet, tamen quando Papa solemniter celebrat, ei Sacrosancta hostia deferretur à Subdiacono stante ad levam Pontificis, qui in sublimi throno, incurvatus tamen, communionem sumit. De quo ait *D. Bonavent.* Christus in communi, & omnibus videntibus passus est, undè Papa, quando sumit Corpus Christi in Missa solemnè, sumit omnibus videntibus: nam sedens in Cathedra convertit se ad Populum. Deindè, quadam fistula aurea (quæ benedicenda est) Sanguinem consecratum atrahit, & sumit. *Communio Laicalis*, ad quam ob poenitentiam aliquando Clerici damnabantur. *c. 1. r. 7.* vel est communio sub una tantum specie, panis scilicet, vel est sola participatio in orationibus Laicorum, cum quibus Clerici poenitentes in Ecclesia collocabantur. *Maeri, V. Communio Laica.* Populus postea dimittitur per ea verba: *Itè Missa est*, quæ denotant dimissionem Apostolis ab Angelis factam, quando illi post Ascensionem Christi stabant admirantes in Cœlum, *Aff. 1. v. 10.* Hæc aliquan-

do omittuntur, dicto eorum loco: *Benedicamus Domino*, quando scilicet non dicitur Gloria. Vel quia Populus non credebatur adesse, ut inferiis, vel ratione mortificatiæ. Olim tamen *Itè Missa est* post benedictionem Sacerdotis dicebatur. In fine quidem Evangelium S. Joannis dicitur, nisi forte in Matutino sit recitata nona Lectio de Evangelio cum homilia, v. g. de Dominica: quippè tunc illud Evangelium in fine Missæ dicitur.

383 Defectus in Missa ex variis capitibus procedunt, quibus proinde sic in Rubricis providetur. Si celebrans ante consecrationem advertit, hostiam esse corruptam, aut non esse triticæam, remota illa hostia, aliam ponat, & facta oblatione, saltem mente concepta, prosequitur ab eo loco ubi desivit. Si advertit post consecrationem, etiam post illius hostiæ sumptionem, posita alia, faciat oblationem, ut supra, & à consecratione incipiat, scilicet, ab illis verbis: *Qui pridie, quam pateretur*: & illam priorem, si non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis, & Sanguinis: vel alii sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet. Si autem sumpserat: nihilominus sumat eam, quam consecravit: quia præceptum de perfectione Sacramenti majoris est ponderis, quam quod à jejuniis sumatur. Quod si hoc contingat post sumptionem Sanguinis, apponi debet rursus novus panis, & vinum cum aqua: & facta prius oblatione, ut supra, Sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis: *Qui pridie*: ac statim sumat utrumque, & prosequatur Missam, ne Sacramentum remaneat imperfectum, & ut debitus servetur ordo. Si hostia consecrata dispareret, vel casu aliquo, ut vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, & nequeat reperiri, tunc altera consecratur ab eo loco, incipiendo: *Qui pridie, quam pateretur*, facta prius oblatione: ut supra. Si celebrans ante consecrationem Sanguinis, quamvis post consecrationem Corporis advertat, aut vinum, aut aquam, aut utrumque non esse in calice, debet statim apponere vinum cum aqua, & facta oblatione, ut supra, consecrare, incipiendo ab illis verbis: *Simili modo*. Si post verba consecrationis advertat, vinum non fuisse positum, sed aquam, deposita aqua, in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice, & consecret, resumendo à verbis prædictis: *Simili modo*. Si hoc advertat post sumptionem Corporis, vel hujusmodi aquæ, apponat aliam hostiam iterum consecrandam, & vinum cum aqua in calice,

offerat utrumque, & consecret, & sumat, quamvis non sit jejunos. Vel si Missa celebraretur in loco publico, ubi plures adsint ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione, ut supra, consecrare, ac statim sumere, & prosequi cætera. Si quis percipiat ante consecrationem, vel post consecrationem, totum vinum esse acetum, vel alias corruptum, idem servetur quod supra, ac si deprehenderet, non esse positum vinum, vel solam aquam fuisse appositam in calice. Si autem celebrans ante consecrationem calicis advertat, non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, & proferat verba consecrationis. Si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti. Si materia, quæ esset apponenda ratione defectus, vel panis, vel vini non posset ullo modo haberi, si id sit ante consecrationem Corporis, ulterius procedi non debet. Si post consecrationem Corporis, aut etiam vini deprehenditur defectus alterius speciei altera jam consecrata, tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit, & Missa absolvenda, ita tamen, ut præmittantur verba, & signa, quæ pertinent ad speciem deficientem. Quod si expectandum aliquandiu, haberi possit, expectandum erit, ne sacrificium remaneat imperfectum. Si celebrans non recorderetur, dixisse ea, quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certè ei constet, se omisisse aliquid eorum, quæ sunt de necessitate Sacramenti, id est, formam consecrationis, seu partem, resumat ipsam formam, & cætera prosequatur per ordinem. Si verò valde probabiliter dubitet, se aliquid essentielle omisisse, iteret formam, saltem sub tacita conditione. Si autem non sit de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius. Si Sacerdos putans, se tenere unam hostiam, post consecrationem invenerit, fuisse duas simul junctas, in sumptione sumat simul utramque. Quod si deprehendat post sumptionem Corporis, & Sanguinis, aut etiam post ablationem, reliquias aliquas relictas consecratas, eas sumas, sive parvæ sint, sive magnæ, quia ad idem Sacrificium spectant. Si vero relictæ sit hostia integra consecrata eam in Tabernaculo cum aliis reponat. Si hoc fieri nequit, sequenti Sacerdoti tibi celebratorio in altari supra corporale decenter opterant, sumendam una cum altera, quam est consecraturus, relinquat: vel si neutrum horum fieri possit, in ipso

calice, seu patena decenter conservet, quousque in Tabernaculo reponatur, vel ab altero sumatur. Quod si non habeat, quomodo honestè conservetur, potest eam ipsemet sumere. Si in ipse celebratione Missæ Sacerdos recorderetur, se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi, & satisfaciendi. Si recorderetur, se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum, similiter conteratur cum proposito petendi absolutionem. Ante consecrationem autem in supradictis casibus, si non timetur scandalum, debet Missam inceptram deserere. Si reliquæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum, si lavando os deglutiatur stilla aquæ præter intentionem. Si plures Missas in una die celebret, ut in Nativitate Domini, in unaqueque Missa abluat digitos in aliquo vase mundo, & in ultima tantum percipiat purificationem.

384 Si Sacerdote celebrante, violeatur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa: si post Canonem, non dimittatur. Si timeatur incursum hostium, vel alluvionis, vel ruina loci, ubi celebratur, ante consecrationem dimittatur, Missa: si post consecrationem corporis tantum, ante consecrationem sanguinis, vel utroque consecrato id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur, ab eo loco, ubi ille desivit, & in casu necessitatis, etiam per non jejunum. Si autem non obierit, sed fuerit infirmus, adeò tamen ut possit communicare, & non adsit alia hostia consecrata, Sacerdos, qui Missam supplet, dividat Hostiam, & unam partem præbeat infirmo, aliam ipse sumat. Si autem semiproplata forma Corporis objicit Sacerdos, quia non est facta consecratio, non est necesse, ut Missa per alium suppletur. Si verò obierit semiproplata forma sanguinis, tunc alter prosequatur Missam, & super eundem Calicem repetat integram formam ab eo loco: *Simili modo postquam canatum est.* Vel posset super alium Calicem præparatum integram formam proferre, & Hostiam primi Sacerdotis, & sanguinem à se consecratum sumere, ac deindè Calicem relictum semiconsecratum. Si quis autem extra hujusmodi casus necessitatis integra Sacramenta non sumpserit, gravissimè peccat. Si musca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in Calicem ante consecrationem, projiciat vinum in locum decentem, & aliud ponat in Calice, mis-

ceat parum aquæ, offerat, ut supra, & prosequatur Missam. Si post consecrationem ceciderit missa, aut aliquid ejusmodi, & fiat nausea Sacerdoti, extrahat eam, & lavet cum vino, finita Missa comburatur, & combustio ac lotio hujusmodi in Sacrarium projiciatur. Si autem non fuerit ei nausea, nec ullum periculum timeat, sumat cum sanguine. Si aliquid venenosum ceciderit in Calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in alio Calice, & aliud vinum cum aqua apponendum denuo consecrandum, & finita Missa sanguis repositus in panno lineo, vel stappa tandiu servetur, donec species vini fuerit desiccata, & tunc stappa comburatur, & combustio in Sacrarium projiciatur. Si aliquid venenatum contigerit Hostiam consecratam, tunc alteram consecret, & sumat modo, quod dictum est, & illa servetur in Tabernaculo, loco separato, donec species corruptantur, & corrupte deinde mittantur in Sacrarium. Si sumendo sanguinem particula remanserit in Calice, digito ad labium Calicis eam adducat, & sumat ante purificationem, vel infundat vinum, & sumat. Si Hostia ante consecrationem inventatur fracta, nisi Populo evidenter appareat, talis Hostia consecratur: si autem scandalum Populo esse possit, alia accipiatur, & offeratur: quod si illius Hostiæ jam erat facta oblatio, eam post ablutioem sumat. Quod si ante oblationem Hostia appareat confracta, accipiatur altera integra, si citra scandalum, aut longam moram fieri poterit. Si propter frigus, vel negligentiam Hostia consecrata dilabatur in calicem, propterea nihil est reiterandum, sed Sacerdos Missam prosequatur, faciendo caeremonias, & signa consueta cum residua parte Hostiæ, quæ non est madefacta sanguine, si commodè potest: si verò tota fuerit madefacta, non extrahat eam, sed omnia dicat, omittendo signa, & sumat pariter Corpus, & Sanguinem signans se cum Calice dicens, Corpus, & Sanguis Domini nostri, &c. Si in hieme Sanguis congeletur in Calice involvatur Calix pannis calefactis: si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope Altare, dummodò in Calicem non intret, donec liquefiat. Si per negligentiam aliquid de Sanguine Christi ceciderit, siquidem super terram, seu super tabulam, lingua lambatur, & locus ipse radatur quantum satis est, & abrasio comburatur, cinis verò in Sacrarium recondatur. Si verò super lapidem Altaris cecide-

rit, sorbeat Sacerdos stillam, & locus bene abluatur, & ablutio in Sacrarium projiciatur. Si super linteum Altaris, & aliud linteum stilla pervenerit, si usque ad tertium: linteamina tunc abluantur, ubi stilla ceciderit Calice supposito, & aqua ablutioem in Sacrarium projiciatur. Quod si in ipso solo corporali, aut si in vestibus ipsis Sacerdotalibus ceciderit, debet similiter abluere, & ablutio in Sacrarium projici. Si in substrato pedibus panno, vel tapeto, bene abluatur, ut supra. Si contingat, totum sanguinem post consecrationem effundi, siquidem aliquid, vel parum remansit, illud sumatur, & de effuso reliquo sanguine fiat, ut dictum est: si verò nihil omnino remansit, ponat iterum vinum, & aquam, & consecret ab eo loco: *Simili modo postquam canatum est.* Facta prius tamen Calicis oblatione, ut supra. Si Sacerdos evomat Eucharistiam, si species integre appareant reverenter sumantur, nisi nauseat fiat, tunc enim species consecratae cautè separantur, & in aliquo loco sacro reponantur, donec corruptantur, & postea in Sacrarium projiciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus, & cineres in Sacrarium mittantur. Si Hostia consecrata, vel aliqua ejus particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur, & locus ubi cecidit mundetur, & aliquantulum abradatur, & pulvis, seu abrasio hujusmodi in Sacrarium immittatur. Si ceciderit extra corporale in mapam, seu alio quovis modo in aliquid linteum, mappa, vel linteum hujusmodi diligentè lavetur, & lotio ipsa in Sacrarium effundatur. Hucusque Rubricæ. Si fragmentum Hostiæ in interiores partes vestis mulieris cadat, ipsa mulier modestè invenire curet; si non inveniat, Sacerdos Deo fragmentum commendet, & Missam prosequatur; si inveniat, propriis digitis in pyxidem mittat, lavet digitos, & lotionem projiciat in Sacrarium, si supra pectus mulieris cadat, ipsa modestè lavet. Si solus Sacerdos fragmentum cecidisse advertat, & probabiliter prævideat mulieris notabilem turbationem, vel offensionem adstantium, nihil Sacerdos dicat, sed Deo commendet. Si Sacerdos post sumptionem advertat, species à se sumptas esse veneno infectas, potest vomitum provocare, posteaque vomitum servare, & comburere. Sic *Felix Potestas, tom. 1. p. 1. ex n. 373.* Defectus verò, qui non sunt circa Missæ substantiam non sunt supplendi, si jam Sacerdos longè est progressus, vel debeat Missæ ordinem inverttere. Hinc,

qui Gloria, vel Credo omisit, cum dici deberet, non repetet, etiamsi statim post Dominus vobiscum, vel oramus: advertat, quamvis alii longiores requirant, & merito, progressionem. In dubio tamen aliquid non essentiale omiserit, nihil repetet, consultum autem est repetere, si aliquid grave est, & non longè processit. Demum tamquam regula generalis habendum est, quod tunc Sacerdos consideret, quidnam videatur esse minus incommodum, & hoc bona fide faciat. Sic ex *D. Thom. Suar. & aliis. Lacr. lib. 6. p. 2. n. 533.*

385 Audiamus nunc Theologiæ lumen splendidissimum, Divum Thomam scilicet, qui mirabile comprehensione, & modo sanè Angelico, prout solet, altissima hujus sacrificii mysteria ex Sacra Scriptura, Patribus, & Doctoribus accuratissime explanat, ejus verba ad litteram dabo, quippe nec luculentius, nec brevius tanta arcana valent explicari: & quia vix sine injuria tam præclaro Magistro aliquid detrahi potest. Sic enim in 3. p. q. 83. art. 4. ait: *Respondeo dicendum, quod, quia in hoc Sacramento totum mysterium nostræ salutis comprehenditur, idè præ cæteris Sacramentis cum majori solemnitate agitur. Et quia scriptum est Eccles. 4. Custodi pedem tuum ingrediens domum Domini. Et Eccles. 18. Ante orationem præpara animam tuam: idè ante celebrationem hujus mysterii, primò quidem præmittitur preparatio quædam ad dignè agenda ea, quæ sequuntur. Cujus preparationis prima est laus Divina, quæ fit in introitu, secundum illud Psalm. 49. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. Et sumitur hoc, ut pluries de psalmis, vel saltem cum psalmis cantatur: quia ut Dionysius dicit in tertio cap. Eccles. Hierarch. Psalmi comprehendunt per modum laudis quicquid in Sacra Scriptura continetur. Secunda pars continet commemorationem præsentis miseriæ, dum misericordia petitur dicendo: Kyrie eleison, tunc quidem pro persona Patris, tunc autem pro persona Filii, cum dicitur Christe eleison. & tunc pro persona Spiritu Sancti, cum subditur Kyrie eleison, contra triplicem miseriam ignorantia, culpa, & pœnæ. Vel ad significandum, quod omnes persone sunt in se invicem. Tertia autem pars commemorat celestem gloriam, ad quam tendimus post præsentem vitam, & miseriam dicendo: Gloria in excelsis Deo: quæ cantatur in festis, in quibus commemoratur celestis gloria. Intermittitur autem in officiis luctuosis, quæ ad commemorationem miseriæ pertinent.*

Quarta autem pars continet orationem quam Sacerdos pro populo facit, ut digni habeantur tantis mysteriis. Secundo autem præmittitur instructio fideles Populi: quia hoc Sacramentum est mysterium fidei. Quæ quidem instructio dispositivè quidem fit per doctrinam Prophetarum, & Apostolorum, quæ in Ecclesia legitur per Leitores, & Subdiaconos. Postquam lectionem cantatur à Choro Graduale, quod significat profectum vite: & Alleluia, quod significat spirituales exultationem. Vel tractus in officiis luctuosis, qui significat spirituales gemitum. Hæc enim consequi debent in Populo ex prædicta doctrina. Perseque autem Populus instruitur per doctrinam Christi in Evangelio contentam, quæ à Summis Ministris legitur, scilicet, à Diaconibus. Et quia Christo credimus, tanquam divine veritati (secundum illud Joan. 8. si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?) læto Evangelio, symbolum fidei cantatur, in quo Populus ostendit, se per fidem Christi doctrinæ assentire. Cantatur autem hoc symbolum in festis, de quibus fit aliqua mentio in symbolo, sicut in festis Christi, & Beate Virginis, & Apostolorum (qui hanc fidem fundaverunt) & aliis hujusmodi. Sic igitur Populo præparato, & instructo, consequenter acceditur ad celebrationem mysterii, quod quidem, & offertur, ut sacrificium, & consecratur, & sumitur, ut Sacramentum. Undè primò peragitur oblatio, secundò consecratio materie oblate, tertio ejusdem perceptio.

Circa oblationem verò duo aguntur, scilicet laus Populi in cantu offertorii (per quod significatur letitia offerentium) & oratio Sacerdotis, qui petit, ut oblatio Populi sit Deo accepta: undè & 1. Paralipom. 29. dixit David. Ego in simplicitate cordis mei letus obtuli universa hæc, & Populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. Et postea erat dicens: Domine Deus custodi hanc voluntatem. Deinde circa consecrationem, quæ supernaturali virtute agitur, primò excitatur Populus ad devotionem præfatione: Undè, & monetur, sursum corda habere ad Dominum. Et idè finita præfatione Populus devotè laudat Divinitatem Christi cum Angelis dicens: Sanctus, Sanctus, Sanctus: & humanitatem cum pæris dicens: benedictus, qui venit. Deinde Sacerdos secretè commemorat, primò quidem, pro quibus hoc sacrificium offertur, scilicet, pro universali Ecclesia, & pro his, qui in sublimitate sunt constituti. Timor. 2. & specialiter quosdam, qui offerunt, vel pro quibus offertur. Secundo commemorat Sanctos, quorum patro-

inia implorat pro peccatis cum dicit: communicantes, & memoriam venerantes, &c. Tertio petitionem concludit, cum dicit, ut haec oblatio sit illis pro quibus offertur, salutaris. Deinde accedit ad ipsam consecrationem, in qua primo petit consecrationis effectum, cum dicit: quam oblationem tu Deus, &c. Secundo consecrationem peragat per verba Salvatoris, cum dicit, qui pridem, &c. Tertio excusat praesumptionem per obedientiam ad mandatum Christi, cum dicit: Unde & memores. Quarto petit, hoc sacrificium peractum, esse Deo acceptum, cum dicit: supra qua propitio, &c. Quinto petit huius sacrificii, & Sacramenti effectum. Primum quidem, quantum ad ipsos sumentes, cum dicit: Supplices te rogamus. Secundo, quantum ad mortuos, qui jam sumere non possunt, cum dicit: Memento etiam Domine, &c. Tertio specialiter quantum ad ipsos Sacerdotes offerentes, cum dicit: Nobis quoque peccatoribus. Deinde agitur de perceptione Sacramenti. Et primo preparatur Populus ad percipiendum: primo quidem per orationem communem totius Populi (quae est oratio Dominica, in qua petimus panem quotidianum nobis dari) & etiam privatam, quam specialiter Sacerdos pro Populo offert, cum dicit: Libera nos, quosumus Domine, &c. Secundo preparatur Populus per pacem, quae datur, dicendo: Agnus Dei. Est enim hoc Sacramentum unitatis, & pacis, ut supra dictum est. In Missis tamen defunctorum, in quibus sacrificium offertur, non pro pace praesenti, sed pro requie mortuorum, pax intermittitur. Deinde sequitur perceptio Sacramenti, primo percipiente Sacerdote, & postmodum aliis dante: quia ut Dionysius dicit tertio cap. Eccl. Hierare. Illi, qui aliis Divina tradit, primo debet ipse particeps esse. Ultimo autem tota Missa celebratio in gratiarum actione terminatur, Populo exultante pro sumptione mysterii (quod significat cantus post Communionem) & Sacerdote per orationem gratias offerente, sicut & Christus celebrata Cena cum Discipulis hymnum dixit, ut dicitur Matth. 26.

386 Et postea in art. 5. ait: Resp. dendum, quod in Sacramentis dupliciter aliquid significatur, scilicet, verbis, & factis, ad hoc quod sit perfectior significatio. Significatur autem verbis in celebratione huius Sacramenti quaedam pertinentia ad Passionem Christi, quae representantur in hoc Sacramento: vel etiam ad Corpus mysticum, quod significatur in hoc Sacramento: & quaedam pertinentia ad usum huius Sacramenti, qui debet esse cum devotione, & reverentia. Et ideo in celebratione huius myste-

rii quaedam aguntur ad representandam Passionem Christi, vel etiam dispositionem Corporis mystici: & quaedam aguntur pertinentia ad devotionem, & reverentiam huius Sacramenti. Ad 1. ergo dicendum, quod ablutio manuum fit in celebratione Missae propter reverentiam huius Sacramenti: & hoc dupliciter. 1. quidem quia aliqua praefatos tractare non consuevimus, nisi manibus ablutis: unde indecens videtur, quod ad tantum Sacramentum aliquis accedat manibus, etiam corporaliter inquinatis. 2. propter significationem, quia ut Dionys. dicit. 3. Eccl. Hierar. Extremitatum ablutio significat emundationem, etiam ad minimis peccatis secundum illud Joan. 3. qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet. Et talis emundatio requiritur ab eo, qui accedit ad hoc Sacramentum. Quod etiam significatur per confessionem, quae fit ante introitum Missae. Et hoc quidem significabat ablutio Sacerdotum in Veteri Lege, ut ibidem Dion. dicit. Nec tamen Ecclesia hoc servat tantquam Ceremoniale Veteris Legis praecipuum: sed quasi ab Ecclesia institutum, sicut quidam secundum se conveniens. Et ideo non eodem modo observat, sicut tunc: praetermittitur enim pedum ablutio, & servatur ablutio manuum, quae potest fieri magis in promptu, & quae sufficit ad significandam perfectam emundationem, cum enim manus fit organum organorum (ut dicitur 3. de Anima) omnia opera attribuntur manibus, unde in Psalmo 23. dicitur. Lavabo inter innocentes manus meas. Ad 2. dicendum, quod etiam thurificatione non utimur, quasi ceremoniali praecipuo Legis, sed sicut Ecclesiae statuto: unde non eodem modo utimur, sicut in Lege Veteri erat statutum: pertinet autem ad duo. 1. quidem ad reverentiam huius Sacramenti, ut scilicet per bonum odorem depellatur, si quid corporaliter pravi odoris in loco fuerit, quod posset provocare horrorem. 2. pertinet ad representandum effectum gratiae, quae sicut bono odore Christus plenus fuit (secundum illud Gen. 27. Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni) & Christo derivatur ad fideles Officio Ministrorum, secundum illud 2. Corint. 2. odorem notitiae suae spargit per nos in omni loco: & ideo undique thurificatio altari, per quod Christus designatur, thurificatur omnes per ordinem. Ad 3. dicendum, quod Sacerdos in celebratione Missae utitur Cruce signatione ad exprimendam Passionem Christi, quae ad Crucem est terminata. Est autem Passio Christi quibusdam quasi gradibus peracta. Nam. 1. fuit Christi traditio, quae facta est a Deo Iudae, & Iudaeis, quod signi-

nificat trina Cruce signatio super illa verba: Haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia illibata. 2. fuit Christi venditio: est autem venditus Sacerdotibus, Scribis, & Pharisaeis: ad quod significandum sit trina Cruce signatio super illa verba: Benedicam, adscriptam, ratam. Vel ad ostendendum pretium venditionis, scilicet triginta denarios. Additur autem, & duplex Crux super illa verba: Ut nobis Corpus, & Sanguis, &c. ad designandam personam Iudae venditoris, & Christi venditi. 3. autem fuit praesignatio Passionis Christi facta in Cena: ad quod designandum sunt tertio duae Cruces, una in consecratione Corporis, alia in consecratione Sanguinis, ubi utrobique dicitur benedixit. 4. autem fuit ipsa Passio Christi: unde ad representandum quinque plagas Christi fit quarto quintuplex Cruce signatio super illa verba: Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, panem sanctum vitae aeternae, & Calicem salutis perpetuae. 5. representatur extensio Corporis, & effusio Sanguinis, & fructus Passionis per trinam Christi signationem, quae fit super illis verbis: Corpus, & Sanguinem sumpserimus omni benedictione, &c. 6. representatur triplex oratio, quam fecit in Cruce: unam pro persecutoribus, cum dixit: Pater ignosce illis. Secundam pro liberatione a morte, cum dixit: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Tertia pertinet ad adeptionem gloriae, cum dixit: Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum. Et ad hoc significandum fit trina Cruce signatio super illa verba: Sanctificas, vivificas, benedixit, &c. 7. representantur tres horae, quibus pependit in Cruce, scilicet, a sexta usque ad horam nonam: & ad hoc significandum fit iterum trina Cruce signatio ad illa verba per ipsum, & cum ipso, & in ipso. 8. representatur separatio Animae a Corpore per duas Cruces subsequenter extra Calicem factas. 9. autem representatur Resurrectio tertia die facta per tres Cruces, quae sunt ad illa verba: Pax Domini sit semper vobiscum. Potest autem brevius dici, quod consecratio huius Sacramenti, & acceptatio huius sacrificii, & fructus ipsius procedit ex virtute Crucis Christi, & ideo ubicunque fit mentio de aliquo horum Sacerdos Cruce signatione utitur. Ad 4. dicendum, quod Sacerdos post consecrationem non utitur Cruce signatione ad benedicendum, & consecrandum, sed solum ad commemorandam virtutem Crucis, & modum Passionis Christi, ut ex dictis patet. Ad 5. dicendum, quod ea, quae Sacerdos in Missa facit, non sunt ridiculosae gesticulationes: sunt enim

ad aliquid representandum. Quod enim Sacerdos brachia extendit post consecrationem, significat extensionem brachiorum Christi in Cruce, levat etiam manus orando ad designandum, quod oratio eius dirigitur pro Populo ad Deum secundum illud Thren. 3. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in Coelos. Exod. 17. dicitur, quod cum levaret Moyses manus, vincebat Israel. Quod autem manus interdum jungit, & se inclinat, & suppliciter, & humiliter orantis, & designat humilitatem, & obedientiam Christi, ex qua passus est. Dignitas autem jungit post consecrationem, scilicet, pollicem cum indice, quibus Corpus Christi consecratum tetigerat, ut si qua particula digitis adhereret, non dispergatur, quod pertinet ad reverentiam Sacramenti. Ad 6. dicendum, quod quinquies se Sacerdos vertit ad Populum ad significandum, quod Dominus die Resurrectionis quinquies se manifestavit. Salutatur autem septies Populum, scilicet, quinquies vicibus, quibus se convertit ad Populum, & his, quando se non convertit (scilicet cum ante Praefationem dicit, Dominus vobiscum: & cum dicit, Pax Domini sit semper vobiscum) ad designandam septiformem gratiam Spiritus Sancti. Episcopus autem celebrans in festis in prima salutatione dicit: Pax vobis: quod post Resurrectionem Discipulis dixit Dominus, cuius personam representat praecipue Episcopus. Ad 7. dicendum, quod praefatio Hostiae tria significat. 1. quidem ipsam divisionem Corporis Christi, quae facta est in Passione. 2. distinctionem Corporis mystici secundum diversos status. 3. distributionem gratiarum procedentium ex Passione Christi, ut Dion. dicit 5. cap. Eccl. Hierare. unde talis fractio non inducit divisionem Christi. Ad 8. dicendum, quod sicut Sergius Papa dicit (habetur in c. Triforme, de Cons. D. 2.) triforme est Corpus Domini, pars oblata in Calicem missa Corpus Christi, quod jam resurrexit monstrat, scilicet, ipsum Christum, & B. Virginem, vel si qui alii sancti cum Corporibus suis sunt in gloria: pars comesta ambulans adhuc super terra, quia scilicet, viventes in terra Sacramento utuntur, & passionibus conteruntur, sicut, & panis comestus conteritur: pars in altari usque ad finem Missae remanens est corpus in sepulchro, quia usque in finem saeculi corpora sanctorum in sepulchris erunt, quorum tamen anima sunt, vel in Purgatorio, vel in Caelo. Hic tamen Ritus non servatur modo, ut scilicet una pars servetur usque in finem Missae propter periculum, manet tamen eadem significatio partium, quam qui-

dam metricè expresserunt dicentes: *Hostia dividitur in partes, tincta beatos pleni, sicca notat vivos, servata sepultos. Quidam tamen dicunt, quod pars in Calicem Missa significat eos, qui vivunt in hoc Mundo, pars autem extra Calicem servata significat plene beatos, scilicet, quantum ad animam, & corpus, pars autem comesta significat ceteros. Ad 9. dicendum, quod per Calicem duo possunt significari. Uno modo ipsa Passio Christi, quæ representatur in hoc Sacramento: & secundum hoc per partem in Calicem Missam significantur illi, qui adhuc sunt participes Passionum Christi. Alio modo potest significari fructus beata, quæ etiam in hoc Sacramento præfiguratur. Et idè illi, quorum corpora jam sunt in plena beatitudine significantur per partem in Calicem Missam. Et est notandum, quod pars in Calicem Missa non debet Populo dari in supplementum Communionis, quia panem intinctum non porrexit Christus, nisi Judæ proditori. Ad 10. dicendum, quod vinum ratione suæ humiditatis est ablutivum, & idè sumitur post sumpcionem hujus Sacramenti ad abluendum os, ne aliqua reliquie remaneant, quod pertinet ad reverentiam Sacramenti. Undè in c. Ex parte 5. de Celebrat. Missar. Semper Sacerdos os perfundere debet postquam totum percepit Eucharistie Sacramentum, nisi cum eodem die, aliam Missam debuerit celebrare, ne si forte vinum perfusionis acciperet celebrationem aliam impediret. Et eadem ratione perfundit vino digitos, quibus Corpus Christi tetigerat. Ad 11. dicendum est, quod veritas, quantum ad aliquid debet respondere figuræ, quia scilicet non debet pars Hostiæ consecrata, de qua Sacerdos, & Ministri, vel etiam Populus communicat, in crastinum reservari. Undè ut habetur in c. Tribus gradibus, de Cons. D. 2. Clemens Papa statuit, quod tanta holocausta in altari offerantur, quanta Populo sufficere debeant: quod si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore, & tremore Clericorum diligentia consummantur. Quia tamen hoc Sacramentum quotidie sumendum est, non autem agnus Paschalis quotidie sumebatur, idè oportet, alias Hostias consecratis pro infirmis conservare. Undè in c. Presbyter, de Cons. D. 2. legitur. Presbyter Eucharistiam semper habeat paratam, ut quando quis infirmatus fuerit, statim cum communicet, ne sine Communionem moriatur. Ad 12. dicendum, quod in solemnibus celebrationibus Missæ plures debent adesse: Undè Soter Papa dicit, ut habetur in c. Hoc quoque, de Cons. D. 2. Hoc quoque statutum est, ut nullus Presbyterorum Mis-*

sarum solemnibus celebrare præsumat, nisi duobus presentibus, sibi que respondentibus, ipse tertius habeatur: quia cum pluraliter ab eo dicitur: Dominus vobiscum: & illud in secretis, orate pro me, apertissimè convenit, ut ipsius respondeatur salutationi. Undè & ad majorem solemnitatem ibidem statutum legitur, quod Episcopus cum pluribus Missarum solemnibus peragat. In Missis tamen privatis sufficit, unum habere Ministrum, qui gerit personam totius Populi Catholici, ex cujus persona Sacerdoti pluraliter respondet. Sic Angelus Præceptor. In super sciendum est, quod oratio: *Liberati nos quesumus*, secreto dicitur ad denotandum silentium tempore sepulture Christi. In die tamen Veneris Sancto alta voce pronuntiatur ad significandum manifestam Salvatoris victoriam. Hæc oratio aliquando Embolismus dicitur. Latius hæc mysteria prosequitur Magnus Suarez, fama super ætera notus, qui & ab ipso Ecclesiæ Capite Doctor Eximius indigitari meruit, & certè Theologorum nostræ Societatis Coriphæus habetur, maximè hodie, quando ejus doctrina in monte sapientiæ, id est, Universitatis Salmantinae collocata publicè pro nostris legitur, & quæquæ versus irradiat.

387 Sed ne ceremoniæ, quibus nostri Reges, pro-Reges Indiarum, quin & Philippinarum Gubernatores utuntur, dum Missis solemnibus assistunt, ne inquam penitus ignoretur, apponere necessarium duxi litteram. Text. in L. 10. tit. 15. lib. 3. R. Ind. ibi: *A los Virreyes de las Indias, por su cargo, y dignidad es debido el uso, y observancia de las mismas ceremonias, que se hacen à nuestra Real persona dentro, y fuera de nuestra Capilla. Y para que tengan noticia de las que son, mandamos, que sean expresadas en la forma siguiente. Quando vamos à alguna Ciudad, ò Villa, donde huviere Iglesia Cathedral, ò Colegial, la primera vez que entramos en ella, sale el Cabildo de la Iglesia con Cruz alta à recibirnos, y no permitimos que saigan fuera de la Iglesia, sino que dentro de ella seis, ò siete pasos de la puerta principal està el Obispo con Capa, y Cruz en la mano, y se pone una alfombra, y almohada, donde nos arrodillamos para besar la Cruz de mano del Obispo, ò Presidente, y de allí va el Cabildo en procesion, llevando Cruz alta hasta el Altar, y lo demas se hace conforme al Ceremonial, y lo mismo se guarda en los Conventos de Religiosos. Este recibimiento no se hace más que la primera vez que entramos en una Iglesia; y aunque depues va-*

mos muchas veces à ella, no somos recibido en esta forma, sino despues de alguna ausencia de largo tiempo, que entonces nos hacen el mismo recibimiento. Quando vamos à Missa à nuestra Capilla, no salen los Capellanes à recibirnos, ni hacen mas que levantarse de sus asientos, y hacer genuflexion profunda, sin llegar à tierra, quando vamos pasando à la cortina. Para la Confesion de la Missa salen dos Capellanes, y haciendo genuflexion en la misma forma, sin llegar à tierra, se ponen de rodillas junto à la cortina, y nos dicen la confesion; y si es Prelado el que la dice, està en pie, aunque este de rodillas. La Gloria nos la vienen à decir. Al Credo de la Missa estamos en pie, y los Capellanes, que salen à decirle, llegan à la cortina; y haciendo genuflexion profunda, dicen el Credo en pie, porque Nos estamos asi; y al Et Homo factus est, nos ponemos de rodillas con los Capellanes, aunque alguno sea Prelado, y se levantan luego; y acabado el Credo, haciendo la misma genuflexion, vuelven à su asiento. Al Evangelio trae el Diacono el Missal abierto; y por llevar el Texto descubierto, sin hacer humillacion mas de parar un poco antes de la cortina, llega, y nos le dà à besar; y dando dos pasos atrás, por haberle cerrado, hace su humillacion profunda. El Ministro, que nos trae la Paz, no hace mas humillacion que baxarse à darla, por estar Nos de rodillas; y dada, se retira dos pasos atrás; y en lugar de humillarse, se para un poco, y va al Altar. Esto se hace por la Imagen, ò Cruz que està en el Portapaz. Los dias de la Purificacion, y Domingo de Ramos, se dan las Candelas, y palmas primero à todo el Clero, y despues salimos de la cortina hasta la grada del Altar à recibir del Presbitero la Candela, ò Palma; y haciendo reverencia nos volvemos à la cortina. El dia de Ceniza la toma primero el Clero, hasta los Cantores, que van en habito Clerical, y despues salimos de la cortina à la grada del Altar, donde nos tienen puesta una almohada, y nos ponemos de rodillas à tomar la Ceniza, y haciendo la reverencia, nos volvemos à la cortina; y luego la toman el Principe, si està allí, y los Grandes, y Cavalleros que se hallan presentes. El Viernes Santo, para la adoracion de la Cruz, va primero el Clero, y luego Nos, y los Grandes, y Cavalleros, que allí estan; ordenamos, y mandamos que asi se haga, y observe con los Virreyes del Perú, y Nueva España. Et in L. 23. ejusdem Tituli dicitur: *En las concurrencias de Obispo, y Gobernador à los Divinos Oficios dentro de la Iglesia, decla-*

ramos, que la aspersion de la Agua bendita antes de la Missa Mayor se debe hacer primero al Obispo, y Clero juntos, y despues al Governador; y si el Obispo estuviere en la Capilla Mayor, se le darà la paz, y despues al Governador; y estando el Obispo en el Coro, saldràn juntos dos Ecclesiasticos, quales dispone el Ceremonial, y daràn la Paz uno al Obispo, y otro al Governador.

388 Missa sæpè dicitur Liturgia nomine Græco, quod publicum munus significat. Etiam appellatur *Anaphora*, *Doxologia*, *Mystagogia*, *Thysia*, *Prosphera*, & *Ceremonia*. Deindè nomine Missæ aliquando non Missa, sed solemnitas, vel alia Divina Officia significantur, ut notat *Maeri in Hiero-Lexic. V. Missa*. Frequentissimè tamen oblatio, & sacrificium Missa nuncupatur. Et meritò: nam hoc unicum sacrificium Legis novæ omnes sacrificiorum rationes perfectissimè continet. Est enim holocaustum, quia potissimum fit in recognitionem Divinæ excellentiæ: est propitiatorium, quia fit in satisfactionem peccatorum: est Eucharisticum, quia fit in recognitionem, & gratiarum actionem Passionis Christi, quæ fuit summum Dei beneficium, & fons omnium beneficiorum: est etiam impetratorium, quia in eo Christum offerimus in quo, & per quem omnia Divina beneficia sperare debemus. Sic *Doñor Eximius*. Sanè *Hostia* in genere dicitur, quod offertur, & sic nuncupatur ab hoste victo, nam post victoriam obtentam offerebatur. *Hostia* equidem in hoc sacrificio oblata est *Corpus*, & *Sanguis* Christi: quippè una eademque est *Hostia*, idem nunc offerens *Sacerdotum ministerio*, qui se ipsum tunc in *Cruce* obtulit sola offerendi ratione diversa. *Trid. sess. 22. c. 2. idem enim Christus continetur, & in cruentè immolatur, qui in Ara Crucis semel se ipsum cruentè obtulit*. Offertur quidem prout existit sub speciebus panis, & vini, sub quibus habet rationem hostiæ Deo oblatae. Undè species ad hoc sacrificium solum spectat, tamquam id, sub quo offertur *Hostia*, & per quod redditur sacrificium sensibile: non verò tamquam pars rei, quæ offertur, cum verè non sint pars rei oblatae, quamquam hujusmodi species intrinsicè pertineant ad rationem Sacramenti Eucharistie, cum sint pars signi sensibilis, tamquam per se significantes. Nec substantia panis, & vini ad hoc sacrificium spectant, tamquam res oblata, sed solum tamquam materia ex qua, transeunte, & destructa fit res oblata, & sine qua non fieret consecratio, &

conversio. Et in hoc sensu sunt intelligendi Patres, qui hoc sacrificium in materia, scilicet pane, & vino cum sacrificio Melchisedech convenire dicunt. Sacrificium verò formaliter sumptum pro ipsa actione offerendi, & sacrificandi præcisè, & adæquatè stat in ipsa consecratione, sub utraque specie, quatenus est positio Corporis, & Sanguinis Christi, vi verborum sub speciebus panis, & vini. Ita ex *SS. Ambr. Cyprian. D. Th. & aliis* probat *Suar.* Nam sacrificium est externa, & sensibilis actio, qua res aliqua offertur, ut legitimo, ac solemnè ritu in Dei honorem, & cultum aliquomodo immutetur à publico, & legitimo Ministro. Undè cum principalis offerens sit Christus, in illa actione hoc sacrificium consistet, quam Sacerdos ministerialis in persona Christi exercet: ac proinde consecratio, in qua solum Sacerdos in persona Christi loquitur, erit formaliter, & præcisè sacrificium. Nec rationi sacrificii, obest, quod consecratio non supponat, sed ponat ipsam hostiam, Christum nempe sub speciebus, ut ex sacrificio Thymiamatis liquet, in quo suffitus, seu vapor suave olens ipsa sacrificeatione productus offerebatur. *Exod. 25. & 35.* Deinde: sola consecratio maximè sacrificium Crucis repræsentat, cum vi verborum Corpus Christi seorsim sub specie panis ponatur, velut occisum, & Sanguis sub specie vini, velut effusus. Undè à Patribus hæc separatio, quantum est vi verborum, mystica mactatio, & immolatio Christi nuncupatur, aptaque proinde, ut in ea ratio sacrificii consistat. Hinc cum Corpus, & Sanguis Christi per modum cibi, & potus ordinati ad consumptionem ponantur, & quidem eo fine, ut speciebus consumptis, vel corruptis ibi Christus esse desinat, datur utique sufficiens mutatio hostiæ ad rationem sacrificii; nec productiva tantum, sed aliquomodo destructiva, cum ponatur modo quodam mortuo, & ordinato ad destructionem non quidem physicam, & perfectam, sed moralem, & imperfectam: quod sanè ad rationem sacrificii satis esse, constat ex libamine, quo vinum libabatur, & sacrificari solebat, non per physicam, sed per moralem destructionem, quatenus in terram effusum moraliter destructum ad humanos usus censebatur. Quod sufficienter efficit mutationem externam, & sensibile ratione verborum, quibus constat, & vi quorum ponitur Corpus, & Sanguis Christi, sicut ratione specierum, sub quibus Corpus, & Sanguis Christi latent, fiunt sensibilia Corpus ipsum, & Sanguis. Præ-

terea: materia, ex qua fit res oblata, scilicet, panis, & vinum realiter mutantur, & convertuntur in Corpus, & Sanguinem Christi, undè resultat immutatio realis mediata rei oblata: quin & ipsa hostia immediatè immutatur, & quasi anihilatur, quatenus novum modum existendi accipit, vi cuius ad punctum redigitur, quod quidem animo sacrificandi fieri debet ex institutione Christi, & cum intentione saltem confusa faciendi, quod Christus instituit. Et licet consecratio non sit oblatio explicita, & in actu signato, est tamen oblatio implicita, & in actu exercito, quod profectò ad sacrificium sufficit, ut in Lege veteri jugulatio, & combustio erat realis, & exercita oblatio ad rationem sacrificii certè sufficiens. Insuper sola consecratio aptissimè Deum demonstrat Authorem vitæ, & mortis, seu existentie, & non existentie omnium rerum, quippe qua aded mirabilis sit conversio, ut Christus esse Sacramentale, quo antea carebat, accipiat. Et cum aliud hæc consecratio, vi suæ institutionis hanc mutationem faciat ad Dei cultum, & potestatem ejus supremi domini in omne esse, & non esse rerum creaturarum in memoriam eruenti sacrificii Crucis, habet quiddam ad rationem sacrificii communiter necessarium censetur. Nec enim de absoluta ratione sacrificii est realis immutatio, vel destructio materiæ oblata: quia ex *Levit. cap. 23. & 24.* aliqua sacrificia sine tali immutatione facta constant. Et ipsum nomen sacrificii solum postulat, ut circa rem oblata fiat aliquid sacrum: quippe sacrificium, juxta *Divum Isidorum*, est quasi *sacrum factum*; quo nempe recognosci valeat Divina Excellentia: quod non repugnat alio modo, quam per realem mutationem fieri. Sufficit namque aliquid sacrum fieri circa rem oblata, quo censeatur moraliter sanctificata, & destinata ad sacros usus. Hinc est, quod sacrificium non consistit in oblatione vocali consecrationem præcedente: quippe quæ non à Christo, qui juxta *Trid.* est offerens principalis, sed ab Ecclesia (& in qua non semper fuit) instituta est tamquam ceremonialis quædam præparatio. Neque item consistit in elevatione hostiæ, neque in oblatione post consecrationem facta, quippe quæ tantum ab Ecclesia, ut extrinseca deprecatio est instituta: nec in mixture, aut fractione hostiæ: nam Christus mixturem non fecit, & fractionem solum fecit ad usum distributionis, & verosimilius ante consecrationem, ut ex ordine Missæ deduci videtur. Nec item in consump-

sumptione, seu communionem Sacerdotis: quippe sacrificium debet consistere in actione, per quam Sacerdos aliquid offerat, & per communionem solum accipit: præterquamquod sacrificium debet stare in actione, quam Sacerdos in persona Christi faciat per potestatem directè vi ordinationis acceptam, quod sanè in tali sumptione deest, licet aliud hæc communio sit extrinsecum sacrificii complementum ex Christi præcepto necessarium: quod proinde non potest Sacerdos omitti. *e. 11. de Cons. D. 2.* Et certè hæc actio non fit in persona Christi, sed fit à Sacerdote, ut membro Christi victimam oblata participante. Undè Sacerdos Eucharistiam sumpturus eodem modo pro se, & pro aliis orat dicendo: *Ut quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus; omni benedictione Cælesti, & gratia repleamur*, idcirco statim in propria persona dicit: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: consequenterque non repræsentat personam Christi, ac proinde nequit in tali actione sacrificium stare.* Undè ait *D. Thom. in 3. p. q. 79. art. 5. Hoc Sacramentum simul est sacrificium, & Sacramentum: sed rationem sacrificii habet in quantum offertur, rationem autem Sacramenti in quantum sumitur.* Nec denique sacrificium stat in distributione, quæ fit communicantibus: siquidem ex *Trid. sess. 22. Can. 8.* & ex usu frequenti Ecclesiæ in pluribus Missis deest hæc distributio, in quibus dicere rationem sacrificii deficiente, profectò esset insanire. In Parasceve quidem sacrificium non fit, cum consecratio desit, & tantum consumatur hostia sacrificio præcedentis diei immolata: sed ratione ceremoniarum, quæ cum ceremoniis sacrificii aliquomodo conveniunt, sacrificium objectivè, & improprie tali die fieri dicitur. Demum jam in Lege veteri, & nunc sæpè in Ecclesia, præcipue in Missis solemnibus *thurificatur.* Olim quidem incensario altaris virtutem Altissimi supervenientem in Virginem significabat. Incensatio verò hostiæ unctionem Christi à Magdalena ante passionem factam donat. Quin & Gentiles thure jam utebantur in Numinum reverentiam. Sic apud *Ovid. Metam. 14. Numinis instar eris semper mihi, meque fatibor, muneris esse tui, Tempa tibi statuum, tribuam tibi thuris honores.* Thurificatio debet esse secundum majorem partem ex incenso, ut verificentur verba in benedictione, & incensatione prolata. Quando *SS. Eucharistiæ Sacramentum* incensatur non benedicitur incensum: sed si occasione Missarum cele-

brationis, aut vesperarum altare incensatur, tunc enim incensum benedicitur, licet sic expositum Sacramentum. Nullus equidem, neque Legatus, neque Cardinalis, neque Episcopus, si non sint mitrati, incensatur in Missa, nisi semel, scilicet, post oblata. Quando debet Papa sedendo incensari, tunc à Cardinali assistente genuflexo ob reverentiam Cathedralis, quæ est prima sedes, thurificatur. Quando verò erectus incensatur, tunc idem Cardinalis, etiam erectus incensatur. Trina incensatio uni tantum præstari debet, nempe digniori. *S. Cong. 11. Dec. 1604.* Quando incensatur altare à cornu sinistro incipitur. Deinde: in *L. 13. tit. 15. lib. 13. R. Ind.* dicitur: *Si estuviere in uso incensar el Diacono à los Presidentes, quando asistieren à la Iglesia à los Divinos Oficios, se continúe con los Sucesores, y guarde la costumbre: y en ningun caso se haya de incensar à las mugeres de los Presidentes, ni Oidores; ni darles la Paz.* Sacerdos etiam Sacramento exposito incensatur, juxta *Gavantum.*

389 Sacerdotes quidem Regulares non possunt ab Ordinariis impediri, quominus in suis Ecclesiis Missas, & Divina Officia celebrent, etiam diebus Dominicis, & festis, etiam quando Parochi in suis celebrant Ecclesiis ex *Const. S. Pii V. Etsi Mendicantium*: possuntque campana pulsatione Populum convocare, etiam antequam Matricis campana pulsetur, Sabbato Sancto excepto. Item fideles Missam in Regularium Ecclesiis audientes, præcepto utique satisfaciunt, quin obstat *Trid. sess. 22. in Decret. de Observand. in celebrat. Missæ.* nec possunt Regulares prohiberi in quibuscumque Ecclesiis celebrare. Exteri tamen, & peregrini Sacerdotes non debent ad celebrandum admitti, nisi exhibitis literis suorum Superiorum, vel Regularium, vel Episcopum, vel Vicarii Generalis, vel foranei. *Trid. sess. 22. in Decret. de Observ. in celebr. Missarum.* Si Missa ex dispositione fundatoris in Ecclesia Regulari est celebranda, & non consentiat Superior, de Ordinarii licentia alibi celebrabitur. Nec potest Episcopus, nisi ad hoc speciali gaudeat privilegio, compellere Regulares ad exhibendos libros, in quibus Missæ annotantur, ut possit constare de adimplerione ultimæ voluntatis, vel legati *pii. S. Cong. 10. Mart. An. 1663. apud Pignat. tom. 3. cons. 9. n. 7.* cum à suis Superioribus visitentur. Nam *Cl. un. de Testament.* in qua Regulares Episcopo subjiciuntur, præcisè loquitur de Religiosis executoribus ultimi-

marum voluntatum, minimè vero de illis, quibus executores committunt aliquas Missas celebrandas. Nec *Trid. sess. 22. de Ref. cap. 8. & 9.* Regulares comprehendit, sed ad alia loca pia exempta restringitur. *Pignat. n. 9.* Sacerdos igitur Missam celebrans variè consideratur. 1. ut instrumentum Christi, qui est principalis consecrans, & cuius personam in sacrificio gerit Sacerdos. 2. prout est publicus Ecclesie Minister, nomine Ecclesie orans, & Deo hoc offerens sacrificium. 3. prout est persona privata suo nomine orans, & offerens, vel nomine illorum, qui ad hoc sacrificium specialitè concurrunt, ut dantes eleemosynam, Ministri, adstantes, & audientes. Præterea in Missa multiplex invenitur fructus. 1. fructus personalis, quem ipse Sacerdos percipit ex ipsa celebratione, quem quidem aliis applicare non debet, nec potest. 2. fructus generalis, quem participant omnes fideles tam vivi, quam defuncti, præcipuè Missæ assistentes, nec aliter à Sacerdote potest applicari. 3. fructus medius, quem sane applicat Sacerdos pro eo, pro quo offert sacrificium. Et licet pro hujus æstimatione nequeat pecuniam percipere. *c. 101. l. 1. q. 1.* potest tamen eleemosynam tamquam sustentationis stipendium recipere: quippe qui Altari servit, de Altari vivere debet. *c. 16. de Præbend.* Et regularitè potest accipere id, quod Lex, consuetudo, vel fundatio taxavit. Et profectò hoc sacrificium potest offerri pro fidelibus vivis, & defunctis. *Trid. sess. 22. de Sacrif. Missæ. Can. 3.* & quidem pro fidelibus, etiam peccatoribus, quia etiam pro Energenis: nam in *Conc. Illiberit. Can. 3.* Solum prohibetur, ne prædicti huic sacrificio ministrent, aut eorum nomina inter Missarum solemnia recitentur. Potest item offerri pro catechumenis, & infidelibus, cum non sint incapaces fructus hujus sacrificii per modum impetrationis. Et licet publicè non possit pro excommunicatis vitandis offerri, potest tamen in memento fieri privata oratio pro ipsis. Certè potest offerri pro defunctis in Purgatorio existentibus, ut ab illis poenis solvantur: pro damnatis tamen nequit offerri, siquidem ipsi incapaces sunt omnis fructus, & effectus hujus sacrificii. Pro Beatis vero potest, ut Eucharisticum in gratiarum actionem offerri, non tamen ut propitiarium est. Latè *Suar. in 3. p. D. 78. scilicet. 3. & alii com.* Beneficiatus ergo, cui in fundatione aliquarum Missarum applicatio taxata est, non potest eas alteri applicare: quod utique po-

test, si ipsi nulla sacrificandi obligatio insit, vel si ipsi à fundatore libera applicatio relinquatur. Imò quando ex fundatione obligatio inest certò tempore, vel loco celebrandi pro commoditate fidelium, si pro certa, vel certis Missis stipendium assignatum non sit, nec mentio intentionis, vel applicationis in fundatione fiat, potest utique pro quo voluerit, etiam stipendio accepto liberè applicare. *Suar. in 3. p. D. 86. scilicet. 3. Lugo de Sacram. D. 31. ex n. 19. & alii, contra Pignatol. tom. 3. cons. 61. n. 9. & 15. Gavanti. & alios.* Parochi non possunt prædictum fructum accepto stipendio liberè applicare diebus Dominicis, & festis, sed pro suis ovibus illum applicare debent, ut colligitur ex *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1. ibi: Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est oves agnoscere, pro his sacrificium offerre, &c.* & ita declaratum est *Const. Innoc. XII. Nuper, 24. April. 1669.* Et novissimè ex *Const. Bened. XIV. expedita die 19. Augusti de 1744.* * quamvis plures tenuerint contrarium. Item, sacrificium, quod quis ex charitate, vel obedientia, vel regula debet pro defuncto applicare, nequit pro alio, stipendio accepto, applicari: nam tunc non totus fructus pro dante stipendium applicatur contra ejus intentionem. Imò, etiamsi quis stipendium non sufficiens congruè sustentationi offerat, pro eo solum offerenda est Missa, quin possit Sacerdos eam pro alio offerre, nec ab eo restans stipendium accipere: quia Missam primo offerendo, videtur Sacerdos stipendium congruè sustentationi deficiens spontè remittere. *Ex Const. Innoc. XII. 10. Kal. Jan. 1697. Suar. & alii cum Barbos. de Potest. Episc. alleg. 24. n. 5. contra Sor. Can. Rodrig. & alios.* Et eadem constitutione statuitur, quod Sacerdos, cui plus ordinario stipendio pro Missa datum est, non possit alii Sacerdoti Missam committere, minùs stipendium, licet consuetum sit, dando, sed stipendium acceptum debet tribuere; quod si retineat, gravitèr peccat, quia quasi mercaturam, & negotiationem ex sacrificio facit, & insuper restituere tenetur, cum dantis voluntas sit, lucro celebrantis, quicumque sit, illud stipendium cedere. *Lugo de Sacram. & alii cum Pignat. tom. 4. cons. 227. n. 7.* ubi ait ita à S. Congreg. Decretum, & declaratum esse: Parochi tamen, & Beneficiati, cum ratione beneficiorum sint Domini fructuum, possunt per alios, si id ipsis non sit expressè prohibitum, Missas dicere, dando eis consuetum stipendium, licet minùs illo, quod ipsi ex beneficio per-

percipiunt. *Suar. in 3. p. D. 88. scilicet. 3. Barbos. de Potest. Episc. alleg. 24. n. 11. & alii.* Tot autem Missæ à Sacerdote celebrandæ sunt, quot à fundatore, vel dante stipendium sunt præscriptæ, etiamsi stipendium incongruum sit, si tamen certus numerus non est designatus, ab Ordinatione restitutionis, tempore congruo ad impetrandum à Deo auxilium pro ea necessitate. Extra hunc casum celebrari debet intra breve tempus prudentis arbitrio. Ex *Const. Innoc. XII.* itaque administratores Ecclesie magni concursus non possunt tot Missas accipere, quibus nisi post longum tempus nequeunt satisfacere nisi tribuentes stipendium consentiant. Nec potest Sacerdos offerre anticipato Missam pro primo, qui stipendium dabit, quia cum hoc nimiam lucri cupiditatem redoleat, tamquam scandalosum à *Clem. VIII. & Paul. V.* prohibitum est *Barbos. de Potest. Episc. alleg. 24. n. 12.* Quæ omnia magna ex parte comprobantur ex damnatione sequentium propositionum facta ab *Alex. VII.* scilicet. 8. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando potènti partem, etiam specialissimam fructus ipsimet celebrantis correspondentem: idque post Decretum Urbani VIII. 9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio alia parte stipendii sibi retenta. 10. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium uni offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promissam promissione, etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

390 Si relicta pro Missis, anniversariis, vel Officiis Divinis quotannis, vel singulis mensibus dicendis, sint ad eò dimi-
nuta, ut non sufficiat ad celebrationem Missarum in numero præscripto, possunt ad minorem numerum reduci, non quidem à potestate seculari, sed ab Ecclesiastica, & sanè non solum à Romano Pontifice, sed etiam ab Episcopo in Synodo Diocesana, vel etiam extra eam, præsertim in illis Provinciis, ubi tales Synodi rarò congregantur. *Cl. 2. de Religios. domib. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 4. Barbos. de Potest. Episc. alleg. 29. n. 15.* Prælati inferiores Episcopo, si territorium habeant, possunt, sicut, & Episcopi diminuerè Missarum, vel officiorum numerum Prælati Regulares territorio carentes so-

lùm in Capitulo, vel Congregatione Generali hanc reductionem facere valent. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 4. Barbos. de Potest. Episc. alleg. 29. n. 15.* potest etiam hæc reductio fieri, etsi reditus non sint diminuti, si stipendium Lege, vel consuetudine sic actum, ita, ut reditus nunc non sufficiant ad numerum Missarum præscriptum: hæredes tamen teneri pretium ex ipsa hæreditate supplere, ut ita non diminuatur numerus Missarum, tenent *Barbos. de Potest. Episc. alleg. 29. n. 7. Dian. & alii:* quod rectius negant *Pelliz. tom. 1. Man. Regul. tr. 6. q. 18. n. 45. & alii:* quia cum non constet de hac obligatione, non debent ea hæredes onerari. Si verò reditus certò ex toto perierint, ita ut nihil ad beneficiatum, Ecclesiam, vel Monasterium perveniat, omitti possunt suffragia, seu Missæ; *arg. c. 14. de Locat.* quippe cessante beneficio, propter quod fit officium. *c. fin. de Rescript. in 6. debet, & officium cessare; arg. c. 60. de Appellation. & sic declaratum dicitur à S. Cong. 8. Aug. 1705.* Si tamen reditus augeantur industria, v. g. beneficiorum, non debet ex hoc numerus suffragiorum auferri; *arg. c. fin. de V. S.* auferri tamen debet, si ex casu fortuito reditus augeantur. *Pelliz. tom. 1. Man. Regul. tr. 6. c. 3. q. 17. n. 41.* Denique Missa solum à Sacerdote celebrari potest, itaque si non Sacerdos Missam celebret, gravissimum crimen committit: quod quidem in nostra Hispania puniendum reservatur S. Inquisitionis Tribunali, ut constat ex *Edict. Gener. Inquis. n. 8. ibi: O que no siendo Sacerdote haya dicho Missa, o confesado á alguna persona.* Sicque delinquentes fustibus cæduntur, & mittuntur ad triremes, non tamen traduntur Curie Seculari non obstantibus Constitutibus *Greg. XIII. Clem. VIII. & Urban. VIII.* quæ in hoc puncto non sunt admixtæ in Hispania. Et sanè prædictas violat Constitutiones quæ semel Missam celebrat, aut celebrare incipit, quamvis non perficiat, non tamen si vestibus sacris induitur celebrare intendens, si postea non celebrat. *Sous. in Aphor. S. Inquis. Diana in Sum. V. Inquisitores, n. 165.*

391 Nunc de Eucharistia, quatenus agere Sacramentum, agere, ipse Rubricæ ordo statuet. Christus enim Dominus hoc mirabile Sacramentum instituit in nocte Coenæ: *Matth. 26. ex v. 26. Cl. un. de Reliq. & venerat. Sanct. Trid. sess. 13. de Euchar. cap. 2. l. 54. tit. 4. p. 1.* Et quidem *Trident. sess. 13.* sub anathemate contra varios Hæreticos definitivè. 1. Verum Corpus,

pus, & Sanguinem Christi realiter in hoc Sacramento contineri. 2. nihil substantiæ panis, & vini post consecrationem remanere, & hanc conversionem Catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat. 3. totum Corpus, & Sanguinem Christi sub qualibet specie, & sub qualibet parte separata contineri. 4. in hoc Sacramento esse idem Corpus, & Sanguinem Christi, non solum, dum sumitur, sed etiam ante, & in hostiis, quæ post communionem remanent. 5. anathematizat eum, qui dixerit, vel præcipuum fructum Santissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios affectus provenire. 6. Esse adorandam latrā definit, publicèque adorandam, & Populo proponendam, festumque peculiare illius decernit celebrandum, & in processionibus deferendam. 7. licet in Sacrario reservari, & ad infirmos deferri. 8. Christum in Eucharistia exhibitum, non tantum spiritualiter manducari, sed etiam sacramentaliter, & realiter. 9. Adultos teneri communicare saltem semel in anno. 10. Sacerdotem celebrantem licet, se ipsum communicare. 11. non sufficere solam fidem ad bene communicandum. Hæreses, quas contra hoc Mysterium infernum evomit, latè afferunt Bellarm. & alii, breviter eas refert Laer. lib. 6. p. 1. ex n. 405. Sacramentum igitur Eucharistiæ non est illius consecratio, nec sumptio, nec solum Corpus Christi, sed Corpus Christi sub speciebus contentum, adeo, ut tam species consecratæ, quàm Corpus, & Sanguis Christi intrinsicè, & essentialiter hoc Sacramentum constituent. Sumptio tamen est applicatio: seu conditio ad hoc ut hujusmodi Sacramentum causet suum effectum. Et quidem qualibet species; imò, & quævis particula speciei est integrum Sacramentum, moraliter tamen, & in ratione Sacramenti est unum Sacramentum specie infima: quia ad finem specie infima unum ordinatur, & est unum signum rei sacræ: Nam, etsi physicè loquendo, tot sint numero Sacramenta, quot sunt numero species, vel etiam specierum partes: tamen quod per modum unius proponitur, & sumitur, cum ad unam spiritalem refectionem referatur, moraliter unum numero Sacramentum habetur. Si enim Sacerdos plures Hostias simul sumat, vel unam in plures partes divisam, non tamen idè dicitur plura numero Sacramenta suscepisse. Hostiæ verò in diversis in altariis, ut distincta Sacramenta rectè concipiuntur: Nam tunc in qualibet parte verificatur

adesse Corpus, & Sanguis Christi sub speciebus consecratis, in quo stat Sacramenti essentia: Hinc rejiciendus venit Uvaldensis, qui docuit in solo Corpore, & Sanguine Christi stare Sacramentum: nam quatenus continetur non est sensibile: Deindè: quia Trid. docet, Corpus, & Sanguinem Christi hoc Sacramento contineri: similiter sunt rejiciendi Sorus, & Marsilius, qui tenent, solas species hoc Sacramentum constituere: quia Eucharistia est cibus coelestis, & præterea cultu latræ debet adorari. In hoc siquidem Sacramento, sicut in aliis, duplex materia invenitur, proxima scilicet, & remota, sed ordine inverso: Nam in aliis Sacramentis materia remota est res permanens, proxima verò est ejus usus, qui transit: in Eucharistia verò materia remota transit, scilicet panis, & vinum, proxima autem remanet, scilicet species panis, & vini. Materia igitur remota Eucharistiæ est panis, videlicet, triticus, non hordeaceus, vel alius hujusmodi: Et quidem debet esse aqua elementari, non rosacea, vel alia hujusmodi confectus, igni coctus, non oleo, vel butyro, &c. Insuper est materia hujus Sacramenti vinum, scilicet, de vite: non agrestis, nec acetum, nec quid simile. Ut ex Matth. 26. Luc. 22. c. 1. de Sum. Trinit. Trid. sess. 22. de Sacrifi. Miss. cap. 1. l. 52. tit. 4. p. 1. credunt Catholici. Vino quidem debet ex præcepto, non Divino, sed Ecclesiastico, & certè sub gravi obligante, non quidem ad valorem Sacramenti, sed ad ejus licitudinem, debet, in quam, admisceri pusillum aquæ in quantitate modicissima, id est, una, vel altera gutta, ita tamen ut sit sensibilis, & aliudè non excedat tertiam partem vini. Quod quidem fit ad significandam aquam, quæ cum Sanguine è latere Christi effluxit. c. 6. h. t. vel unionem fidelium cum Christo. c. 7. de Cons. D. 2. Trid. sess. 22. de Sacrifi. Missæ, cap. 7. ibi: *Monet S. Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miscerent, quod Christum Dominum ita fecisse credatur: tum etiam, quia è latere ejus aqua simul cum Sanguine exierit: quod Sacramentum hac mixture recolitur: & cum aqua in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius Populi fidelis cum Capite Christo unio representatur.* l. 52. tit. 4. p. 1. In Ecclesia autem Latina debet fieri consecratio in pane azymo: in Græca tamen in pane fermentato. L. 52. tit. 4. p. 1. ibi: *E este pan, a que llaman hostia ha de ser fecho de farina de trigo, amasada tan solamente con agua, sin*

levadura, & ibid. Greg. Lop. In utroque tamen fit validè consecratio in qualibet Ecclesia D. Thom. & comm. DD. Ex præcepto Ecclesiæ hostia consecranda debet esse in Ecclesia Latina forma orbiculari, & integra, ita ut in diametro circiter quatuor pollices adæquet. Ea namque, quæ pro communionem Sacerdotis consecratur in Missa suscipienda debet esse quasi quadruplo major ea, quæ pro Laicis consecratur. Græci verò quadratam hostiam adhibent, & in particulis triangularem, ut habet Arcudius. Et quidem de Jure Divino est, quod Sacerdos simul consecret panem, & vinum, & numquam ei licet ex intentione unam speciem sine altera consecrare: validè tamen una sine altera semper consecratur. Papam posse dispensare, quin, & de facto Innocent. VIII. dispensasse, ut in Norvegia solum panis sine vino consecratur: quia ibi vinum statim congelatur, vel in acetum convertitur, refert Machado. Alii tamen hoc communiter negant. Per accidens tamen potest consecrare: validè tamen una sine altera semper consecratur. Papam posse dispensare, quin, & de facto Innocent. VIII. dispensasse, ut in Norvegia solum panis sine vino consecratur: quia ibi vinum statim congelatur, vel in acetum convertitur, refert Machado. Alii tamen hoc communiter negant. Per accidens tamen potest consecrare: validè tamen una sine altera semper consecratur. Sacerdos post unam consecratam moriatur, & nullum alius adsit Sacerdos, qui perficere possit Sacrificium: si alius adsit potest supplere, & Sacerdos si fortè sit infirmus, possitque communionem suscipere debet hostia dividi, eique pars dari. Idem est, si Sacerdos in amentiam, vel aliud impedimentum incidat. 2. si quis pro vino aquam, vel alium liquorem consecrasset, & non intelligeret defectum nisi diu post, vel non possit habere aliud vinum, vel etiam possit haberi aliud vinum, non posset jam eo uti sine periculo vite, vel gravi scandalo. 3. si hostia jam consecrata, subitum periculum mortis ab hostibus, vel incendio temeretur: debet tamen abesse scandalum, & contemptus fidei. Forma hujus Sacramenti pro Corporis consecratione in his verbis fiat: *Hoc est enim Corpus meum*, pro consecratione Calicis, seu vini, hæc est forma: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Matt. 26. v. 26. & 28. l. 54. r. 4. p. 1. Essentialitè tamen solum hæc verba requiruntur: *Hoc est Corpus meum. Hic est Calix Sanguinis mei.* Vel *Hic est Sanguis meus.* Cætera autem sine gravi peccato nequeunt omitti: sed non sunt ad valorem necessaria. D. Bonav. Suar. Bellarm. & alii. Et sanè prædicta verba, vel alia eis æquivalentia, non solum recitativè, seu historice, sed formalitè, significantivè, & asser-

tivè debent in persona Christi profèrri. Quamvis verba præcedentia, tantum historice, sive recitativè dicantur, ut ex eorum seriè constat: *Fregit, deditque Discipulis suis dicens, accipite, & manducate, &c.* In sequentibus formis non fit mutatio substantialis, ac profundè quamvis illicita, valida tamen erit consecratio. 1. si Sacerdos dicat: *Hic cibus, hic potus, hic Calix; vel hæc res, vel contentum sub his speciebus est Corpus meum, vel Sanguis meus.* 2. *Hic Calix est novum Testamentum in Sanguine meo.* 3. *Hoc est meum Corpus, Hic meus est Sanguis: vel hoc est Sanguis meus: vel si addat, Hoc est Corpus meum quod de Virgine sumpsit: Hic est Sanguis meus infiniti valoris.* Vel quid simile. Dubia erit consecratio sub his formis: *Illud est Corpus meum: Iste est Sanguis meus.* Vel: *Hæc est Caro mea.* Invalida erit consecratio sub his formis: *Hoc est Corpus meum: Hic panis convertitur in Corpus meum: Hic ponitur Corpus meum: Hoc est substantia mea: Hoc est Corpus Christi.* Vel *Eccce Corpus meum: Eccce Sanguis meus: Hoc Corpus est meum: Hic Sanguis est meus: Hic (adverbiale) est Corpus meum:* Si tamen hic ponatur masculinè pro neutro, valida erit consecratio. Pronomina etenim *Hoc*, & *Hic* designant ipsum Corpus, & Sanguinem Christi, quod sub speciebus continetur finita forma. Quasi dicatur, quod contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, est Corpus Christi. D. Thom. in 3. p. q. 78. art. 5. in corp. Substantia verò panis, & vini non annihilatur in hoc Sacramento, sed convertitur in Corpus, & Sanguinem Christi, & quidem statim, ac proposito incipit esse vera: & licet vi verborum solum in pans consecratione directè ponatur Corpus Christi, & in consecratione Calicis solus Sanguis directè ponatur: tamen in qualibet specie, imò, & in qualibet particula est totus, & integrè Christus Dominus, quin, Pater, & Spiritus Sanctus per concomitantiam. Et sanè Christus manet in speciebus, etiam divisis, & sub quamvis earum particula, licet minima, & imperceptibili; donec tanta fiat earum mutatio, ut consueta substantia panis, & vini corrumpereur. In Laico quidem species regularitè corrumpuntur intra minutum, in Sacerdotem tamen intra medium quadrantem, vel saltem intra quadrantem: si aliud non suadeat infinitas, vel stomachi debilitas, Laer. lib. 6. p. 1. ex n. 469. & alii com. Materia consecranda debet esse certa, & ab intèntione consecrantis, & in individuo determinata: hoc namque requirunt